



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, MDCCXVIII

Casus III. Argumentum. Juspatronatus hæreditarium transit ad quoscumque hæredes etiam extraneos universaliter institutos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72203)

uni ex illis adjudicare juspatronatus, tum quia est Judex laicus; tum quia non est ratio, quare potius uni, quàm alteri adjudicari debeat, tum quia cum dispositio legis sit, quòd juspatronatus transeat in solidum apud omnes hæredes, hujusmodi dispositio tolli non potest per dispositionem humanam, *cap. Quarimoniam de jurepatronatu.*

- 2 Secundò. Si in hæreditate sunt plura jurapatronatus, potest Judex laicus in divisione hæreditatis uni hæredi adjudicare unum, alteri aliud juspatronatus, de consensu autem hæredum, qui cum hoc inter ipsos facere possunt, juxta *Lambertin. de jurepat. lib. 1. par. 2. quest. 2. art. 36. n. 13.* Factum Judicis censetur factum eorundem hæredum, *L. Si ob causam, Cod. de eviction.*
- 3 Tertiò. Judex Laicus potest accessoriè adjudicare uni ex hæredibus juspatronatus, scilicet adjudicando uni ex hæredibus Castrum, aut Villam, cui esset annexum juspatronatus, nihil tamen dicendo, aut disponendo de ipso jurepatronatus, ita *Berous hic n. 38. & seqq. Lambertin. ubi sup. art. 37. Barbat. in cap. Quantò de judic. Anan. in cap. Quarimoniam de jurepat.* sicuti ipsemet Patronus dividendo hæreditatem inter suos hæredes, potest uni ex illis assignare juspatronatus, itaut aliis non competat. Ita *Berous hic n. 41.*

ARGUMENTUM.

Juspatronatus hæreditarium transit ad quoscunque hæredes, etiam extraneos, universaliter institutos.

SUMMARIUM.

- 1 Juspatronatus transit ad quoscunque hæredes, etiam extraneos, universaliter institutos, non ut hæredes, sed quia hæredes, & n. 3. 6. limita ut n. 7. & 8.
- 2 Nomine hæredum veniunt quicunque hæredes tam sanguinis, quàm extranei.
- 4 In habentibus symbolum facilius est transitus.
- 5 Pro assequutione jurispatronatus merè hæreditarii unice spectatur qualitas hæreditaria.

CASUS III.

Patronus instituit hæredem universalem Cajum ejus amicum: quæritur an unà

cum hæreditate transiverit etiam ad Cajum juspatronatus?

- 1 Respondeo affirmativè; quoniam juspatronatus transit ad quoscunque hæredes, etiam extraneos: etenim Canones supradicti loquuntur de hæredibus simpliciter, & indistinctè; sed nomine hæredum, veniunt quicunque hæredes, tam sanguinis quàm extranei, tam ex testamento quàm ab intestato, ut in *L. Hæredi appell. ff. de verb. sign.* Igitur juspatronatus transit ad quoscunque hæredes etiam extraneos, *Vivian. de jurepat. L. 4. p. 1. cap. 2. n. 1. Capon. discip. 66. n. 4. Gratian. disc. 645. n. 10. Rota decis. 409. n. 1. par. 18. & coram Emerix jun. decis. 234. n. 1. Molin. de primogen. l. 1. C. 24. n. 3. & in Mediolanen. Archiepresbyteratus 27. Januar. 1710. S. Quæ veritas coram R. P. D. Falconerio.*

- 3 Quod mirificè comprobatur paritate, nam juspatronatus transit ad extraneos cum universitate rerum, & corporum titulo particulari donationis, & venditionis, ut ex *Text. in cap. ex literis, & cap. Cum seculum de jurepat.* de quibus infra *Can. XIV. & XV.* Ergo à fortiori transibit ad hæredes extraneos succedentes in universum jus Testatoris titulo universali successione. Ratio est; quia in habentibus symbolum facilius est transitus, *L. In rem, §. Item quæcumque, ff. de rei vindic.* Major similitudo est inter Testatorem, & ejus hæredem universalem, cum iste Personam defuncti repræsentet, & una eademque Persona cum defuncto censetur, ut in *auth. de jur. juran. à mor. præst.* quam inter donatorem, & donatarium, aut inter venditorem, & emptorem. Ergo si cum universitate rerum, & corporum titulo particulari donationis, aut venditionis transit ad extraneos, à fortiori cum universitate rerum, & jurium transibit ad hæredes universales titulo universali successione: aliàs, si juspatronatus non transiret, nisi ad eos de sanguine, non daretur transitus illius titulo particulari donationis, aut venditionis contra dictos *Text. cap. Ex literis, & cap. Cum seculum.*

- 5 Ad assequendum autem hujusmodi juspatronatus merè hæreditarium non requiritur, nec sufficit habere qualitatem descendentiæ, sed unice spectatur qualitas hæreditaria, & qui illam habet juspatronatus obtinere debet, *Lotter. de re benef. lib. 2.*

lib. 2. q. 11. n. 28. Rot. in Pennen. Beneficii super Pertinentia 17. Martii 1710. S. Hoc inquam, coram R. P. D. Lancetta.

Nec etiam ad assequendum exercitium juspatronatus, seu ut quis validè præsentare possit in patronatu hæreditario, non requiritur, quòd actu possideat hæreditatem dum patronus potest validè præsentare, etiam antequam sit immissus in possessionem hæreditatis, ea ratione, quia in juribus incorporalibus pro eorum exercitio sufficit habere jus citra facti possessionem: ut expressè testatur Lotter. de re benef. lib. 3. q. 19. n. 30.

6 Sed juspatronatus transit ad hæredes universales etiam extraneos, non ut hæredes, quia non transit ad illos pro hæreditariis portionibus, ut hic est Textus, sed quia hæredes, scilicet transit ad omnes insolidum. Et ita tenent Innoc. Anania, Berous, Butrius, & alii hic Calderin. de juspatron. conf. 2. Lambertin. eodem tit. lib. 1. par. 2. quæst. 2. princip. Fagnan. Gonzal. hic Ancharan. conf. 81. Barbar. in cap. Quanto de judic. sub n. 12. S. Sed Bald. Gabriel. conf. 196. n. 1. Anania in cap. Cùm sacculum de juspat. n. 5.

7 Quæ tamen conclusio limitatur in casu, quo Testator expressè exclusit à juspatronatus hæredes extraneos, ut potest illos excludere juxta Decium super Decretal. in cap. Edoceri, & in cap. Significatum de Præben. Lambert. ubi supra art. 2. Berous hic n. 34.

8 Aut in casu, quo Testatori competeret juspatronatus non ex fundatione, nec dotatione, nec constructione, sed ex merito Privilegio Personali; quo casu juspatronatus extingueretur cum Persona Testatoris, & non transiret ad hæredes extraneos, Ciarlin. controv. 159. n. 13. & seq. D. meus Advoc. Pitonius discept. eccles. 33. p. 1. rec.

ARGUMENTUM.

Juspatronatus non transit ad hæredem institutum in re certa. Quod tamen limitatur in aliquibus casibus.

SUMMARIUM.

1 Juspatronatus non transit ad hæredem particularem institutum in re certa, nec ad merum executores, & n. 2. sed limita, ut n. 3. & 4.

2 Institutus in re certa non est propriè hæres.
5 Testator non potest specialiter legare juspatronatus uni Persona, absque consensu Episcopi, potest tamen illud legare com- patrono, aut Ecclesie absque hujusmodi consensu, ut n. 6. & 7.

CASUS IV.

Quidam Patronus habens duos filios; Unum ex eis instituit hæredem in re certa, nimirum in certa quota bonorum; alio universaliter instituit hæredem; quæritur an juspatronatus transeat ad filium in re certa institutum?

1 Respondeo negativè, quia juspatronatus transit cum universitate rerum, & bonorum, non autem cum rebus particularibus, juxta Text. in cap. Ex literis, & in cap. Cùm sacculum de juspat. de quibus infra Can. XIV. & XV. Ergo non transit ad hæredem particularem institutum in re

2 certa. Item institutus in re certa non est propriè hæres, sed legatarius, vel potiùs tertia species participans de hærede, & legatario, L. Quoties, ff. de hæred. instit. ac proinde in materia juspatronatus non comprehenditur sub simplici nomine hæredis, quia in exorbitanti, & materia stricta sub simplicibus non comprehenditur casus mixtus, L. 2. in princ. ubi Bart. & Alex. ff. de verbor. oblig. sed materia juspatronatus est materia exorbitans: igitur ubi dicitur, juspatronatus transire ad hæredem, nomine hæredis non venit institutus in re certa; & hanc conclusionem communiter tenent ferè omnes Doctores, Abb. Berous n. 22. & seqq. hic Lambertin. de juspat. lib. 1. p. 2. quæst. 2. art. 16. n. 6. Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 11. n. 28. Rota decis. 24. n. 2. post Vivian. de juspat. & decis. 70. n. 16. par. 12. & decis. 413. n. 11. & decis. 560. n. 2. par. 18. & decis. 223. n. 1. par. 19. recen. Garz. de benef. par. 5. cap. 9. n. 17. Ex quo sequitur, quod si juspatronatus non transit ad hæredem institutum in re certa, multò minus transibit ad merum Executorem testamentarium patroni; qui nullatenus est hæres, ut firmavit Rot. in Barchinonen. beneficii 14. Maji 1685. S. Ceterum in fine, coram R. P. D. Florez.

3 Limitatur tamen hæc conclusio in casu, quo non esset institutus hæres universalis; vel esset institutus hæres universalis, sed non potuerit sic institui; vel esset in-